



CAPITIS NONI
AD ROMANOS.

Nexus, argumentum, partitio, analysis.

Quod Apostolus nunc aggrediatur tractare mysterium electionis & reprobationis diuinæ: omnes interpretes consentiunt. In explicatione verò tractationis huius tam veteres quam recentes variant. Cum primis à mente Apostoli aberrant illi, qui opiniones Pelagianas de Dei prescientia, operum, fidei, infidelitatis, & boni vel mali usus liberi arbitrii in hoc mysterium important: quas proinde procul facessere oportet, ut imperuestigabile Dei miserentis vel non miserentis beneplacitum hic adoremus cum filio Dei dicente: Confiteor tibi pater Domine cæli & terræ, quod absconderis hæc à sapientibus & intelligentibus, & ea reuelaueris paruulis: Etiam Pater quia sic PLACUIT TIBI.

DE nexu & scopo Apostoli aliud aliis videtur. Quidam putant, Apostolum ascendere ad electionis mysterium, ut fontem fidei iustificantis, de qua hæctenus tam multa, aperiat, idque ut iustificationem merè gratuitam esse fortius enineat. Docuerat nos fide gratis iustificari. Unde verò hæc fides? Ex nobis? an aliunde? Ostendit non esse ex nobis (alioqui non consisteret τὸ δωρεάν) sed ex gratuita electione Dei. Quod enim alii credunt, alii non, discrimen id docet non esse ex nobis, sed ex Dei electione, ne quis glorietur. Alii nexus rationem petunt ex eo, quod supra cap. 3. 11. dixerat: Non est προσωποληψία apud Deum: & c. 3. 29. An Iudæorum Deus tantum, an non & gentium? certè & gentium & c. ubi duo posuerat Apostolus: Iustitiam esse ex fide Christi absque operibus: & Deum iustificare ex fide tam gentes quam Iudæos absque προσωποληψία. Expedito igitur membro priore de iustificatione per fidem: nunc alterum explicare aggreditur, absque προσωποληψία, Deum iustificare non Iudæos tantum, sed etiam Gentes, quotquot Christum fide recipiunt. Quod autem ex Iudæis pauci, ex gentibus plures Christum recipiunt, id fluere ex æterna Dei electione: neq; tamen id promissionibus Dei aduersari, sed oraculis optimè congruere. **ALII** volunt ab Apostolo occupari & explicari hanc obiectio- nem: Si ista est vera salutis doctrina, quam hæctenus de fide tradidisti, cur Iudæi, qui sunt populus Dei, eam non amplectuntur? Aut enim doctrinam oportet esse falsam, quam populus Dei non amplectitur: aut Dei promissiones populo Iudaico factas oportet esse irritas. **RESPONDET** Iudæos esse populum reprobatum: non mirum ergo, quod reiiciant Christum: nec tamen

Ggg